

*verus* in Quæstionibus vexatis Quæst. 3. differit, ubi probat, Christum etiam pro finali impœnitentia satisfecisse, neque hanc satisfactionem frustraneam dici debere, cum homo impœnitens ac jamjam moriturus pœnitere, credere ac salvari possit, quod exemplo latronis in ultimo agone conversi ostendit. Ac ne quis aliam induratorum rationem esse objiciat, sententiam suam etiam ad Judam proditorem applicat, qui etsi conversus non fuerit, tamen adhuc in ultimo vitæ suæ termino converti potuisset. Quærit enim, num Christus pro suspendio Judæ satisfecerit? & respondet; suspendium Judæ dupliciter considerari posse. a) respectu præparationis & actuum antecedentium, ut quando Judas de suspensione sua consilium iniit, cum funem arripuit, alligavit, collum immisit. ß) respectu ultimi t̄s v̄v & momenti, quo simul desperavit, fauces sibi interclusit, & vitam finiit. Quoad posterius agnoscit, nullum gratiæ locum amplius Judam habuisse, quia illud suspendii momentum, quo vita ipsi erepta est, simul fuit initium damnationis, sicut omne v̄v semper est finis præteriti & initium futuri temporis; ita quidem ut Judas statim in inferno esse cœperit, simul ac spiritum emisit. Priorem autem respectum quantum attinet, dicit, ad eum Christi meritum omnino sese extendere, qui omnino pro suspendio Judæ cogitato & parato satisfecerit, ita quidem, ut ultimo ultimæ horæ quadrante, cum adhuc in vivis esset, omnino pœnitere & salutem adipisci potuisset.

### *Thesis VI.*

Ulterius sententiam nostram probant dicta ad universalem vocationem pertinentia, quale est illud, quod